



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Compendivm Concertationis, Hvivs Secvli Sapientivm Ac  
Theologorum, super erroribus moderni temporis**

**Bundere, Jan van den**

**Venetijs, 1548**

De primatu Petri, & Romanæ ecclesiæ, ti. 31

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36077**

per aquas? Narratur præterea in histo. triparti. libro. 8.  
cap. 34. quomodo aqua benedicta dæmonis coercuit potestatem.  
Aspersoris huius aquæ meminit et Cyprianus: ut  
habetur de consecratione distinct. 4. cap. Nec quenquam.

DE PRIMATV PETRI, ET ROMANAECCLESIAE. TIT. XXXI.  
ARTICVLVS I.

Sunt assentatores qui sic Papæ præconia extolunt RHET.  
lunt, ut dicant eum ex Christi institutione, vicari  
um Christi posse soluere ac ligare quævis, etiam  
statuta pro suo arbitratu condere.

Nouimus quidem quomodo Græci et Rutheni Papæ THEO.  
potestatem in uniuersalem ecclesiam negent.

Ioannes quoque de Lauduno, et Marsilianus Paduanus,  
dixerunt, quod Christo ascende in cœlum, non mansit in  
terra eius vicarius generalis Papa. Quodque Petrus non  
plus fuit caput ecclesiæ, quam quilibet aliorum Apostolo-  
rum. Hic error damnatus est per Ioh. 22. in extrauag. Licet  
intra doctrinam Apostoli. Huic errori subscripsit, et Ioan-  
nes de Vuesalia, damnatus Maguntiæ tpe Federici. 3. Vual-  
den, aut dixerūt Romanū præsulē reliquis episcopis parē:  
quibus consensit et Ioannes Huss, Ioannes quoq; Vuicleff,  
aut post Urbanum. 6. Nullum esse recipiendum in Papam.  
Et quod more Græcorum uiuendū sit moribus proprijs.  
Hos quia hæreticos damnatos nouimus, missos facimus.  
Dicit Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium Papam. Ne  
que aliud hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, nisi  
inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur: Nec unus in  
ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus index uice Chri-

DE PRI. PET. ET R.O. ECCLE.

sti cogitatur. Cui si secundum magisteria obtemperaret  
teritas uniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium  
quicquam moueret. Quamobrem nos quam dominus Pe-  
tro dedit potestatem, infirmare nolumus, sed eam confi-  
er & amplecti. Potestatem ordinis cum alijs Apostolis co-

Matt. 26. munem accepit in coena: quando Christus dedit eis po-  
tem conficiendi corpus & sanguinem suum. Potestatē quā

Luc. 22. que iurisdictionis, seu ligandi & soluendi promisit Christus

Matt. 18. Apostolis cōmuniter, dum ait, Amen dico uobis: que  
cunque alligaueritis super terrā, erūt ligata & in calo-  
quæcūq; solueritis super terrā, erūt soluta et in cœlis. Quā  
potestas solis presbyteris cōuenit: ut habet Ambr. lib. 1.  
pœ. c. 2. Dedit autē potestatem ligādi & soluendi ipsū pre-  
sbyteris iam factis: dū post resurrectionem insufflavit, &

Ioan. 20. dixit: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis pe-  
ccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis peccata, re-  
tentia sunt. Præminentiam quoque præ cæteris, & pri-  
mū promisit Christus Petro, propter singularem suam co-  
fessionem. Scribit nāque Matthæus: Venit Iesus in partē

Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicentes:  
Quem dicunt homines esse filium hominis? Et post spacio.  
Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus  
dixit. Tu es Christus filius Dei uiui. Respondens Iesus dia-  
xit. Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non ve-  
uelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi  
quia tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo ecclesi-  
am: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ei  
tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaueris  
super terram, erit ligatum & in cœlis: Et quodcumque solue-  
ris super terram, erit solutum & in cœlis. Hoc ipsum w.

luit Christus, dum Simoni per Andream adducto ait. Tu es  
Simō filius Ioā. Tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Ioan. 1.  
Petrus. Anacletus quoq; tertius à beato Petro Papa ait: ut  
recitatur dīstin. 22. cap. Sancta Romana. Petro, à domino  
concessum est, ut reliquis omnibus præcesset Apostolis: et  
Cephas, id est caput, et principium teneret apostolatus,  
Præterea Cephas dicitur, quia in caput constitutus est Apo-  
stolorū. Cephalis enim Græcē caput dicitur latine: ut ait Iſi-  
dorus. 7. etymo. cap. 9. Si itaque horū uerborū germanus  
sensus exquiritur, comperitur dominum Petro primatum  
sue ecclesie spopō disse eisdem uerbis. Articu. 2.

Ex uerbis Matt. præfatis nulla Petro reprobavit R H E T.  
titur prærogativa: sed quod commune fuerit or. Matth. 16  
ganum Apostolorū, insinuatur. Dominus enim  
non solum Petru, sed omnes Apostolos requi-  
suit dicens. Vos autem quem me esse dicitis? Et  
Petri respōsionē accepit pro omnī collegio Apo-  
stolorū. Ex quibus ulterius sequitur, quod Chri-  
stus personam Petri respondentis, pro omnibus  
acceptauit, Ita sequenter quoque nō solū ad Pe-  
trum, sed ad omnes pro quorum persona loqui-  
tur, dicit. Tu es Petrus. &c.

Congruebat recoluisse illud sapientis. Ne innitaris pru THEO.  
dentiae tuæ. Quod uerbum tractans Hiero. in parabolis, Prouer. 3.  
quemadmodū habetur de cōstitu. cap. Ne innitaris, ait. Pru-  
dentiae suæ innititur, qui ea quæ sibi agenda nel dicenda ui-  
dentur, patru decretis anteponit. Prisci patres, præfatis uer-  
bis Petro promissum asserunt principatum. Tu uero præ-  
ter rationem, præter autoritatē, cōtra patrum sententias,  
præfata spōsionem detorques ad omnes Apostolos, imo

A a

DE PRI. PET. ET RO. ECCL.

ad omnes Christianos: ut ecclesiæ, & non Petro datus  
potestas clavum. Petrum itaque sanctitate perinde acie-  
tia præpollentium non pudeat audire sentētias. Dicit nam  
Clemēs in epist. ad Iacobū fratrē domini, Hierosolymī  
episcopum. Notum tibi facio domine, quia Simon Petrus  
ueræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu-  
mentum ecclesiæ esse, definitus est. Qua de causa, etiam  
mini ore cognominatus est Petrus. Petra quidem dichotomia  
Christus. A petra cognominatus est Simon Petrus: ut hi  
ratione edoceamus Petrum Christi uicem in terris homi-  
rum, cuius nomen & accepisse cognouimus: & eundem  
trāquā in secundario fundamento) quæ iam in Christo pri-  
mario fundamento ædificari cœperat. Quamobrem ait do-  
minus Petro. Super hanc petrā ædificabo ecclesiam meam.  
Pensare non pīgeat uerba. Simili modo eadem uerba in  
pretatus est ibidem Theophy. Remunerat (inquit) Petrus  
dominus, mercedem illi dans magnam, quod super cibis  
fificabit ecclesiam. Hieronymus quoque ibidem sic ait. Sono  
ni qui credebant in Christum, Petri largitus est nomen ac  
secundum metaphorā petræ, recte dicitur ei. Aedificabo  
ecclesiam meam super te. Chrysost. etiam eadem uerba tra-  
ctans, sic inquit. Sublimiora ipsum sapere facit. Ecclesia  
futuræ pastorem constituit. Rabanus eundem locū sic inter-  
pretatur. Qui regem cœlorum maiori præ ceteris deuoca-  
tione confessus est, meritò præ ceteris collatis clavis re-  
gni cœlestis dotatus. Hilarius uero eadem uerba trutinauit,  
inquit. O in nuncupatione noui nominis felix ecclesia fu-  
damentum: dignaque ædificatione illius petræ, quæ inse-  
nas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clausura

solueret. O beate cœli ianitor, cuius arbitrio claves æterni  
aditus traduntur: cuius terrestre iudicium præiudicata au-  
thoritas sit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata sint, aut solis  
ta, statuti eiusdem conditionem obtineant in cœlo. Cyrillus  
autem Alexandrinus episc.lib. 2.super Ioan.ca.12 . sic ait:  
Nec Simon fore sibi nomen, sed Petrus, prædictit: uocabis  
lo ipso commode significas, quod in eo tamen in petra la-  
pideq; firmissimo suam esset ædificaturus ecclesiæ. Cypria-  
nus autem martyr, aduersus Nouatianum de unitate ecclesiæ,  
epist. 26. sic habet: Loquitur dominus ad Petrum. Ego dico  
tibi, quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo ec-  
clesiam meam et c. Et eidem post resurrectionem dicit. Pa-  
sc agnos meos, pasce oues meas. Super unum ædificat ec-  
clesiam: et illi oues pascendas committit. Et quanvis apo-  
stolis oib[us] post resurrectionem suam parem p[ro]t[er]em tribuat,  
et dicat. Sicut misit me pater, et ego mitto uos. Accipite  
spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur  
eis: Et si cui tenueritis, tenebuntur. Tamen ut unitatem  
manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipiētem  
sua auctoritate disposita. Hoc erant utique et ceteri Apo-  
stoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædicti, et honoris,  
et potestatis: Sed exordium ab unitate proficiuntur, ut ec-  
clesia una monstretur. Idem quoque Cyprianus li. 1. epist. 3.  
ad Cornelium Papam, ait: Super Petrum ædificata est a do-  
mino ecclesia: unus pro omnibus loquens, et ecclesiæ uice  
respondens, ait: Domine ad quem ibimus? Chryso. quoque  
in Matth.homi. 55. prædicta uerba recitās, ait: Hic ecclesiæ  
futura pastorem constituit. Nam quod Deus concedere so-  
lus potest, peccatorum scilicet remissionem, et ut futura ec-  
clesia, tot tantisq; fluctibus impetu irruptentibus immobilis

DE PRI. PET. ET RO. ECCL.

maneat: cuius pastor & caput piscator homo atq; ignobilis, in terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmate superet. Hæc (inquam) omnia quæ solius Dei sunt, se plausibiliter daturum. Aug. siquidem sermo. 16. de sanctis, ad præconium sic cecinit. Audistis frequenter, ipsum Petrum à domino petram nuncupatum: sicut ait. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est, super quā ædificatur ecclesia: recte priuades, scilicet claudi ex utero matris sanat: ut sicut in ecclesia fidei fundamentum cōtinet: Ita & in homine, membrorum fundamenta confirmet. Vides itaq; candide lector, quoniam do omnes isti sanctissimi pariter et doctissimi patres, eam bis Matthæi, asserant Petro à Christo primatum promissa fuisse, & eum caput & fundamentum nuncupant. Dionysius quoq; lib. 8. de diui. nomi. cap. 3. Petrum uocat uerticalem, hoc est capitalem seu capitaneum. Et Chrysostomus. super illud: Pasce oves meas. Eximius (inquit) erat apostolorū Petrus, os discipulorum, & uertex collegij.

Articu. 3

RHE T.

Petrus os & organum erat omnium apostolorum: & pro omnibus Christus accepit suam sponsionem: ideo non ad eū, sed ad eos quorum personam gesit, loquitur Christus, dicens: Tu es Petrus, & super hanc, &c. Confirmat hoc Augustinus. super Ioan. tracta. 12. 4. sic inquiens. Hoc agit ecclesia spe beata in hac uita ærumpensa, cuius ecclesiæ Petrus apostolus. propter apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura unus erat homo: gratia unus christianus: abundantior gratia unus idemque primus apostolus. Sed quan-

do ei dictum est. Tibi dabo claves regni coelorum:  
& quodcumque ligaueris, &c. uniuersam signifi-  
cabat ecclesiam.

Quis pius christianus feret domini uerba ad Iudā pro= THE O.  
ditorem directa fuisse, qui illi collegio intersuit ut dixerit il-  
li dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo  
ecclesiam meam? Si quidem ad Apostolos sermonem direxis-  
set Saluator, plurali numero enunciasset, quemadmodū ali-  
quādo soli Petro interroganti. Ecce nos reliquimus omnia, Matth. 12.  
et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? &c. Mox dominus  
sermones ad omnes apostolos dirigens, ait. Vos qui reliqui-  
stis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedes &c. Iam  
uerò ad Petrum ppter singularem eius confessionem, sermo-  
nē direxit, ut probauerūt arti, præcedentis allatæ authorita-  
tes. In cuius argumentum ait ei. Tu es Simon Bariona: Tu  
es Petrus: Caro & sanguis non reuelauit tibi (non ait uo-  
bis) sed pater meus coelestis. Hæc est sententia etiam ipsius  
Beda super eisdem uerbis Matt. 16. Ait enim. Qui regnū  
coelorum maiori dilectione præ cæteris confessus est merito  
præ cæteris collatis regni coelestis clavibus donatus est: Sed  
non frustra uni commendatur, quod omnibus intimaretur. Pe-  
tro enim singulariter creditur, quia cunctis ecclesiæ recto-  
ribus Petri forma præponitur. Nec primatui Petri repu-  
gnat, q[uod] fuerit os & organum apostolorum, aut q[uod] personā  
gesserit ecclesiæ. Nam ea rōne alijs prelatus est. Dicit enim  
Chrysost. super eo. Pasce oves meas. Eximius erat aposto-  
lorum Petrus, aut discipulorum, & uertex collegij. Sed &  
August. in allegatis pcr te uerbis, Petro primatum tribuit,  
personamq[ue] gerebat ecclesiæ, ueluti episcopus in synodo ge Ioan. 21.  
nerali, personam suæ repræsentat ecclesiæ, aut princeps sui

DE PRI. PET. ET RO. ECCL.

regni. Nam ibidem post pauca subdit Augu. Claves regni  
cœlorum primus apostolorum accepit Petrus. Nec infida  
murus claves dari ecclesiæ: Nam ecclesia finis est donatione:  
dantur enim propter ecclesiæ utilitatem, ut ecclesia nos  
percipiat fructum. Et hoc dicit Aug. sup Ioannæ tract.  
Ecclesia quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cœlo  
rum accepit in Petro. Et glo. ordi. Math. 16. Date sancti  
ues ecclesiæ episcopis et presbyteris. Hoc schemate dicimus  
imperium esse apud Germanos, non quia singuli Germano  
rum, sed quia ex eis unus imperij titulo insignitus est. He  
tempore Carolus quintus Austricus, & Hispaniarum,  
Gandaui in Flandria natus.

Articulus. 4

RHE T.

Sententiam nostrâ ex Origene homi. i. in Mathe.  
thæ. decerpsumus. Qui singulos quoque iustos di  
cit esse eos, super quos tanquam in petra fundatur  
ecclesia: quibus & claves regni cœlorum dantur: co  
tra quos nec portæ inferi præualebunt. Ait enim:  
Ephes. 5. Petrus est omnis qui imitator est Christi. Et sicut  
z. cor. 3. omne huiusmodi ædificatur ecclesia Dei. Sicut  
super unum illum Petrum arbitraris uniuersam ec  
clesiam ædificari à Deo, qd dicis de Iacobo & Iona  
ne filijs tonitrui, uel de singulis apostolis?

THE O.

Absit ut Origenes à seipso dissideat: Petri primatu  
commendauit homi. i. super Matth. præfata uerba discussio. Vi  
de (inquit) quantam potestatem habet Petrus. super quæ ad  
ficantur ecclesia, ut etiam eius iudicia maneant firma, quæ  
Deo iudicante per illa. Et hom. 6. Illa (inquit) quæ super  
Petro dicta sunt, uidentur etiam oībus dicta: sed quanto  
oportebat aliquid maius habere Petrum præ illis: ideo  
quidem sic dicit. Tu es Petrus, & super hanc petram

dabo ecclesiā meā. Et tibi dabo claves regni cœlorū, &c.  
Et in hom. i. ut suprà. Verē ad Petrum dictum est. Tu es  
Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiā meā,  
& portæ inferi non præualebunt aduersus eā. Tamē omni-  
bus apostolis, & omnibus perfectis fidelibus dictum uide-  
tur, quoniam omnes sunt Petrus & petræ, id est, in omni-  
bus ædificata est ecclesiā: aduersus nullum eorum qui tales  
sunt, portæ præualent inferorum. Sed hæc expositio typicæ  
est secundum allegoriam. Quod uel ex illo manifestum fit,  
q̄ portas inferi peccata, claves regni cœlorū uirtutes inter-  
pretetur. Nos autē sensum literalē prosecuti sumus: de quo  
sensu, & ipse Orige. hom. 6. locutus est. Artic. 5.

Quō Petrus caput aut fundementum ecclesiæ RHE T.  
dici potuit, quod Christo tribuit Apostolus? Di-  
cit enim. Vir est caput mulieris, sicut Christus ca- Ephe. 5.  
put est ecclesiæ. Et ad Corin. Fundamētum aliud 1. cor. 3.  
nemo potest ponere, præter id quod positum est,  
quod est Christus Iesus.

Caput ecclesiæ dicitur Christus, quia nedium rector, sed THEO.  
& author est ecclesiæ. Ex latere enim suo perforato pro-  
fluentibus undis aquæ & sanguinis, unica & imaculata, ac  
uirgo sancta mater ecclesiæ coniux Christi formata est, ut  
dicit concilium Viennen. in cle. 1. de sum. trini. Et ipse Chri-  
stus quasi caput, in mēbra influit dona gratiarū & salutis.

Caput quoq; dicitur Petrus, quia supremus gubernat-  
or & rector ecclesiæ. Fundamētum ecclesiæ dicitur Chri-  
stus. Fundamenta autem nūcupati sunt Apostoli: Quia fun-  
dauerunt ecclesiā in fide & doctrina Christi, quemadmo-  
dum ait Paulus. Ut sapiens architectus fundamentum po- 1. cor. 3.  
sui. Dicit enim Ignatius epist. 5. Vna est ecclesiā, quā funda-

DE PRI. PET. ET RQ. ECCLE.

uerunt sancti apostoli in sanguine Christi proprijs sanguinibus ex laboribus. Singulariter uero fundamētum dictus est

Matt. 19. bus et laboribus. Singulariter uero fundamētum dictus est

Act. 2. 4. Petrus, quia singulariter Christum confessus est, qui amus in nationibus fidei iecit fundamenta: quia aliorum

Lucæ. 22. Etus est firmamētum, ut habet Ambr. lib. 1, hom. 20. Articulus 6.  
tur dist. 50. cap. fidelior.

R H E T. Putalne alijs in locis meminerit scriptura pro

T H E O. matus Petri?

Vtique meminit. Alt namque Christus ad Petrum. Sim,

Luc. 22. ecce Sathanas expetiuit uos, ut cribaret sicut triticum  
autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu deinde conuersus, confirma fratres tuos. Vbi Theophy.

te habeo ut principem discipulorum, Postquam negasti

fleueris, et ad pñiam ueneris, confirma ceteros. Hoc enim

debet, qui post me, ecclesiæ petra es, et fundamentum.

Eadem ferme habet uerba Cyrillus, super eodem uerbo. Ci

firma fratres tuos, quasi dicat. Postquam me negasti plena

ueris, et sic penitueris, corroborâ ceteros, cum te principem

apostolorum deputauerim: hoc enim te decet, quia mecum

robur es, et petra ecclesiæ. Praeterea dominus tecum

Petro petijt, dicens. Petre, diligis me plus his? cui Petrus.

Domine tu nosti quia amo te. Et dominus. Pasce oves meae

sce agnos meos. Profectò is qui præ ceteris dilexit, præ

teris aliquid accepit, quando gregis curam ei comisit, scilicet uniuersalem Christus. Vbi Chryso. Os erat apostolorum

et princeps: tanquam enim negationis obliuisceretur, fraterum curam ei comittit. Et Theoph. Quia Petrus maius

erat feruoris, dignus cui amplius concedatur ministerium comprobatur. Saluator quoque abluturus pedes apostolorum

ad Petrum, tanquam ad aliorum principem, uenit pri-

## TITVLVS. XXXI.

189

ut uult Augu. super Ioan. trac. 56. Vbi uero apostolorū nomina recensentur, p̄eponitur Petrus, tāquam aliorū primus. In signum etiam primatus Petri, pro se, ac pro Petro didagma solui iussit Christus: ut ut habet Chrysost. homil. 59. Si quos super Matthæum. Articulus 7. Matt. 17.

Si quos hēs alios tecū sentiētes doctores. pduc. RHE T.

Audire ergo non pigeat in primis Hieronymum lib. i. THEO. cōtra Iou. cap. 14. sic inquietem. Super Petrum fundatur ecclesia: licet id ipsum in alio loco, super oēs Aposto. fiat: Et cuncti claves regni cœlorum accipiant: & ex aequo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur. Tamen propterea inter duodecim unus elititur: ut capite constituto, schismatis tollatur occasio. Ambr. quoq; de pœni. Petri, sermone. 47: sic ait. Denique pro soliditate deuotionis, ecclesiarū petra dicitur, sicut ait dominus. Tu es Petrus, et super hāc petrā edificabo ecclesiā meā. Petra enim dicitur, quod primus in nationibus fundamenta fidei posuerit: & tanquā saxum immobile, totius operis Christiani compagem molemque constineat. Rursus ait & Augu. in sermone de Apostolis Petro & Paulo. Hic est Petrus, in illa discipulorum schola præci pius, ac primus idoneus, qui uerba uitæ ex ore Christi suscepit. Interpres legis: assertor gratiæ: destructor Synagoæ: ecclesiæ reparator: & ideo solus inter Apostolos merit audire. Amē dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petrā edificabo ecclesiā meā. Gregorius quoque homi. 21. scilicet in die Paschæ, sic habet. Considerandum nobis est, cur omnipotens eum quem cunctæ ecclesiæ præferre disposerat, ancillæ uocem pertimescere, et seipsum negare permisit. Idem Gregorius, ad Ioannem Cōstantinopolitanum. Certè (inquit) Petrus Apostolus primum membrū sanctæ

DE PRI. PET. ET RO. ECCL.

Et uniuersalis ecclesiæ, Paulus, Andreas, & Ioānes quid  
aliud, quam singularium sunt plebium capita? Et tamen sibi  
uno capite omnes sunt membra ecclesiæ. Dionysius autem  
de Apostolorum passione loquens, Paulum adducit sicut  
trouale facientem. Pax tecum, Fundamentum ecclesiæ,  
pastor ouium Christi. Chrysostomus homi. 59. super Ma-  
thæum, tractans illa uerba. In illa hora adierunt discipuli

Matt. 18. Iesum dicentes. Quis putas maior est in regno cœlorum?  
sic ait. In illa hora, quando scilicet ceteris omnibus Petrus  
prætulit: Nam cum Iacobus & Ioan. primogeniti essent  
nihil tale pro ipsis fecisse uidetur ut scilicet pro eis dicitur  
ma solui iuberet. Primatū etiam Petri exprimit idē Chry-  
sostomus, de dignitate sacerdotali libro secundo, capitula.  
Cyrillus quoque, eius eminentiæ non est oblitus, in libro  
thesaurorum. Nulli alteri (inquit) tanquam Petro, Christus  
quod suum est pleniter, sed ipsi soli dedit. Dicit preterea  
Anacletus papa, in epistola de ordinatione archiepisco-  
porum, episcoporum, & ceteris. Inter Apostolos beatos que  
dam fuit discretio: Et licet omnes essent Apostoli, Petrus  
men à domino cōcessum est: Et ipsi inter se idipsum uolu-  
runt, ut reliquis omnibus præcesset Apostolus. Et Cephas id  
est caput & principium teneret apostolatus: Qui etiam  
dem formam suis successoribus & reliquis episcopis ten-  
dam tradiderunt. Dicitur quoque in concilio Constantino-  
politano. Veneramur secundum scripturas, & canonicas  
definitiones, sanctissimum antiquæ Romæ episcopum, pri-  
mum esse, & maximum episcoporum. Athanasius & uersi episcopi Aegyptiorum sic scripserunt pro exempli  
ribus Nicæni cōciliij, domino sancto & apostolici culmine  
uenerando Marco sanctæ Romanae & apostolice sedis a-

uniuersalis ecclesiæ pape Athanasius & uniuersi Aegyptiorum episcopi.

Articulus 8.

Petrum ratione sui primatus aliquid exercuisse R H E T.  
eminentis iurisdictionis, non inuenimus.

Tanquam ecclesiæ caput, & vicarius Christi Petrus THEO. primam synodum conuocauit: Vbi in locum Iudeæ substitutus est Mathias. Idem ipse damnauit Ananiam et Zaphirā Actu. 5. de peculio agri uenditi, aliquid sibi occultantes. Secundam Actu. 15 synodum conuocauit idem: ubi de legalibus conclusum est, nihil amplius oneris imponere ceruicibus ad fidem conuer sorum gentilium, nisi ut abstinerent ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato & fornicatione. Quā quidē sententiam protulit Iacobus, tanquam in sua diocesti. Preterea Petrus ubique fidē & resurrectionem tanquam aliorum princeps tutatus est: ut acta Apostolorū declarat.

Esto, Petrus primatum ecclesiæ sibi à Christo R H E T. delegatū habuerit. unde Romano Pontifici, qui est episcopus Vrbis, ea potestas ut eam in omnes usurpet ecclesiæ?

Nemo ambigit suffectum in eam succedere potestatem THEO. quam habuit prædecessor, modò per superiorem illi non sit coarctata potestas. Vnde Damaso papæ Hierony. ait, ut habetur. 24. quæstio. 1. cap. Quoniam uetus. Cum successore piscatoris & discipulos Christi loquor. Quamobrem Clemens eam habuit potestatē quā Petrus & Anacletus ei subrogatus, & alij successores. Si Clementi credendum est in epistola quam ad Iacobum fratrē domini destinauit: Petrus Clementem in sua sede collocauit, dicens. Clementē hunc, episcopum uobis ordino: cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedrā trado. Propter quod ipsi trado, à domino

DE PRI. PET. ET RO. ECCL.

mihi traditam potestatem ligandi & soluendi: ut de omnibus quibuscumque decreuerit in terris, hoc decreu*m*

in coelis. Linus autem & Cletus non Petri fuere successores, sed adiutores. Dicit nanque Ioannes. 3. in suo deca-

Petrus adiutores sibi asciuit Linum & Cletum, non tan-

potestate potificij aut ligandi aut soluendi eis normatiu-

dit: sed successori suo Clementi, qui sedem apostolicam per

eum tenuit, & potestatem pontificalem. Linus enim

Cletus ministrabant exteriora: Petrus uero uerbo con-

tioni instabat: quemadmodum dixerant apostoli. Non

a equum nos ministrare mensis, & relinquere uerbum di-

Linum autem & Cletum nihil legitur unquam ex potifi-

li ministerio egisse potestatiue: sed quantum eis a beato Pe-

tro praeципiebatur. Si uero eis postea cesserit Clemens, no-

lo contendere. Ob hanc eminentiam, synodus Calcedonie

acclamauit Leonij papae. Leo sanctissimus, apostolicus, &

œcumenicus, id est, uniuersalis patriarcha, per multis annos uiuat. Hinc ex schismate redeentes, confessi sunt Corne-

lium episcopum sanctissimam, & catholicæ ecclesie, erexit

a Deorut habet Cypri. lib. 3. epist. 11. Clemens quoq; par-

seditionem apud Corinth. exortam per epistolam compe-

scuit, & eos in pacem reuocauit, ut testatur hist. eccl. lib. 3.

cap. 6. Iulius autem papa Athanasium Alexandrinus, &

Paulum C<sup>o</sup>stantinopolitanam ecclesiæ restituuit: ut recitat his-

tripar. lib. 4. ca. 14. Hac de causa Sixtus, sextus a beato

Petro, papa, & martyr, sic scripsit. Sixtus uniuersalis apo-

stolicæ ecclesiæ episcopus, omnibus episcopis in domino

salute. Licet postea in concilio Carthaginen. 3. ca. 26. ordini-

tum sit humilitatis causa, ut primæ sedis episcopus nō ap-

pelletur princeps sacerdotum aut summus sacerdos, sed pri-

me sedis episcopus. Articulus 10.

Cur Romana ecclesia tantum sibi arrogat potest? R H E T.  
testatis, cum Petrus non tam Romanæ, quam Antiochenæ ecclesiæ præsuerit?

Dicit Marcellus papa, quemadmodum recitatur. 24. q. 1. THEO.

cap. rogamus. Licet prima sedes Petri, fuerit apud Antiochiam, postea iubente domino, Roma translata est. Et Anacleetus, a beato Petro, papa, et martyr, a quo et presbyter ordinatus fuerat, in epist. de ordinatione archiepiscoporum, episcoporum, et sacerdotum, ait. Hæc sancta Roma et apostolica ecclesia non ab apostolo. sed ab ipso domino Saluatore nostro primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas ecclesias, ac totum christiani populi gregem assecuta est: sicut ipse beato Petro apos. ait. Tu es Petrus, et c. Secunda est Alexandrina, beati Petri nomine a diu Marco eius discipulo atque euangelista consecrata. Tertia sedes apud Anthiochiam: quia illuc, priusquam Romanum ueniret, beatus Petrus habitauit, et Ignatium episcopum constituit. Et illic primum nomen christianorum nouellæ gentis exortum est: ut habet Ignatius epist. 8. ad Antiochen. In concilio autem Constantinopolitano. 150. episcoporum, contra Nectarium congregato, decretum est cap. 5. Constantinopolitane ciuitatis episcopum habere primatus honorem, post Romanum pontificem. Cypria. quoque lib. 1. epist. 3. ad Cornelium papam, sic scripsit de primatu Roma. ecclesiæ. Post ista (scilicet facinora quæ premisit) adhuc insuper pseudo episcopo sibi ab hereticis constituto, nauigare audent (ipso scilicet. Nouatiani) et ad Petri cathedralm, atque ecclesiam principale, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et prophaniis literas ferre. Nec cogitare eos esse Romanos,

DE PRI. PET. ET RO. ECCL.

quorum fides Apost. prædicante laudata est: ad quos per dia habere nō posset accessum. Simile scribit epist. u. ad dem. Et lib. 1. epist. 4. Papa (inquit) Cornelio in cathedrā firmato, quisquis iam episco. fieri uoluerit, foris fata cesse est: Nec habeat ecclesi. unionem, qui ecclesi non unitatem.

Articulus u.

RHET. Romana ecclesia, multa p. ambitū sibi usurpa.

THEO. Non per ambitum occupat, sed quod suum est tenuit docet: habet enim primatum, ut docuimus, præ ceteris clesiis: cuius rei gratia à nemine uenit iudicanda. Cœcilia conuocat, & disponit. Maiora negotia etiam discutit, ac decernit.

Articulus u.

RHET. Non tam miris, quām periculosis portentis fers Romanum pontificem, dicens eum à nemine iudicandum.

THEO. Non meum, sed sanctorum synodorum est hoc decreta. Cum enim Nicæna synodus. 318. episcoporum celebrari in Oriente, conuocauit & Sylvester papa concilium, 176. episcopi, Constantinus imperator, & Helenae ma- ter. Dicitur quoq; in quinta synodo Roma sub Symaco. A multis antecessoribus nostris synodaliter decretum estatutes que pastori cōmissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, præsumat: nec ulla tenus pro qualibet re alia, nisi pro sua iniustitia, accusare audeant. Hoc ipsum infert Nicolaus papa, ex illo ad Hebreos. Minor maiore benedicitur: profectò exigente ratione, & male dictur: ut habes dist. 21. cap. deniq; Confirmatur & exceptio-

Tpē nanq; Diocletiani & Maximiani, cū Marcellinus  
 papa timore persecutionis, thura idolis obtulisset: pœnitēs  
 conuocato concilio. 180. episcoporum in Sumessam Cāpa=  
 niæ urbem uenit, ibiq; squalidus & cilicijs indutus, cum  
 lachrymis peccatum suū cōfites, pro inconstātia sua pœnā  
 sibi indici postulauit. Cui synodus. Absit ut summius ponti  
 sex ab aliquo iudicetur, & sepissimè dixerunt. Tuo ore iu  
 dicia causam tuam: nō nostro iudicio. In sinu tuo collige cau  
 sam tuam, & ore proprio te iudica, dist. 21. ca. Nunc autē.  
 Hoc ipsum habet & Platina. Constantinus etiam in conci  
 lio Niceno recipiēs libellos quibus accusabantur episcopi,  
 eos igni tradidit dicens. Deus constituit uos sacerdotes &  
 potestatem dedit iudicandi de nobis. Vos autē non potestis  
 ab hominib; iudicari: & ideo solius Dei expectate iudi  
 cium, ut habeat hist. eccl. lib. 10. capitu. 1. Et tripart. lib. 2.  
 cap. 2. Symacho papa impetito, corroborato per eum con  
 cilio quarto Romano, dixerunt episcopi residentes. Syma  
 chus papa ab huiusmodi oppositionibus impetus, quan  
 tum ad hoīes respicit. sit imunis & liber: cuius causam to  
 tā Dei iudicio reseruamus. Hoc quoq; schemate ait David  
 domino. Tibi soli peccavi. Quia hominē qui eum puniret,  
 non habuit. Quid autem agendum est, si Papa suis prauis  
 moribus scandalizat ecclesiā, docet Ioan. de Turre crema=  
 ta, in summa de eccl. lib. 2. cap. 106. Articu. 13.

Quare concilia generalia à solo Romano pō- R H E T.  
 tifice conuocanda sunt, aut robur habere ualent?

Vt finis litibus ex controuersiis imponatur, necesse est THEO.  
 iurisdictionē supremā ab uno inchoari & finiri. Hoc autē  
 fit quādo soli Papæ licet conuocare & corroborare con  
 cilia celebranda. Dicitur nāque in decreto Marcellini papæ

DE PRI. PET. ET RO. ECCLE  
ad episcopos Antiochiæ. Inspirante domino sancti patris  
constituerunt, ut nulla sancta Synodus fieret præter Roma-  
ne sedis authoritatem. Idem Maxentio episcopo. Synodi  
episcoporum, (scilicet generalē) absq; huius sedis Romæ  
authoritate non potestis regulariter facere: quāquā quidam  
episcopos possitis congregare, scilicet pro synodo princi-  
piali, quæ ualeat ad correctionē et ad exhortationem. Nō  
autē habet uim definiēdi aut statuendi, scilicet in maiori-  
bus, & uniuersaliter. Nam dicitur dist. 18. ca. 1. 3. Conclu-  
episcoporum bis in anno fiant, ut de omnibus querelis,  
inter diuersos ecclesiæ ordines nasci assolent, iudicent.  
Scribit quoq; Iulius papa Orientalibus episcopis: ut habe-  
tur dist. 17. cap. Regula. Regula uestra nullas habet iuri-  
quoniā nec ab orthodoxis episcopis, hoc cōciliū actū  
nec Ro. ecclesiæ legatus interfuit, canonibus precipienti-  
bus, sine eius autoritate concilia fieri non debere. Nec clu-  
lum ratū est, nec erit unquā concilium: quod eius nō fu-  
fulcitū authoritate. Idem dicit Grego. ibidē ca. Nec licet.  
Et Pelagius papa. cap. Multis, sic ait: Multis deniq; Apo-  
stolicis et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regis  
nō debere absque sūia Roma. pōtif. cōcilia celebrari. Quia  
propter(ut iā dictū est) certè nō concilium, sed cōciliū  
cassatur. Et quicquid in eo actū est, irritum habeatur et na-  
cū. Quamobrem cum authoritas Theodorici regis, ex di-  
uersis prouincijs ad urbem Romanam sacerdotes conueni-  
re præcepisset: Dixerunt episcopi, quod qui impetrabat  
Symachus papa synodum deberet conuocare. Ad haec  
renissimus rex respondit: Nihil ad se præter reuerentiam  
de ecclesiasticis negotijs pertinere: ut habetur di. 17. cap.  
Cōcilia. Martianus quoque imperator, cùm esset in con-

lio Calcedo. 630. episcoporū, cōnentibus legatis Leonis papae, ait. Nos ad cōfirmandā fidē, non ad ostendendā uirtutem exēplo imperatoris Cōstantini, adesse synodo cogitauimus. Dicit quoq; Gelasius papa, de cōcilio Calced. Totum est in sedis apostolice potestate: ita & id qd' firmauit in sy-  
nodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit: qd' refutauit, ha-  
bere non potuit firmitatē. Et sola rescindit, qd' præter ordi-  
nem cōgregatio synodica putauerat usurpandū. Quāobrē  
Iulius papa reuocat damnationē Athanasii per episcopos  
orientalium factā: quia inusitatū nomen Humousion indu-  
xerat. Et Vitalianus papa, in synodo Ro. reuocat acta per  
episcopū Cretensem contra Ioānem Lampeon episcopum.  
& Pelagius papa cassat quæ ordinauerat synodus Cōstan-  
tinopolitana, quia sine eius authoritate erat conuocata: ut  
est uidere in eius decreto.

## Articulus. 14.

Magnum uidetur fidei, pariter & ecclestæ peri R H E T .  
culum: si ab unius hominis sententia, maiora eccl<sup>a</sup>  
clesiae negotia, ueritasq; fidei dependeant.

Quis dicit iacturam reipublicæ esse, si unus præsit im- THE O .  
perator? Profectò nullus, siue n. iste, siue ille, nihil sine con-  
gruēti cōfilio agit aut decernit. Nā quæ dicuntur summo-  
rum pontificū decreta, cum summa episcoporum, Cardina-  
lium, & aliorū diligentia discussa sunt, & conclusa. Qui-  
bus & spūs sanctus non defuit dirigens, dicente Saluatore.  
Cum uenerit spūs ille ueritatis, docebit uos oēm ueritatem. Ioan. 16.  
Et iterum. Ecce ego uobiscum sum, usq; ad cōsummationē Matt. 28  
seculi oībus diebus. Et rursus. Vbi duo uel tres congregati Matt. 18  
fuerint in noīe meo, ibi sum in medio eorum. Et ibidem. Si  
duo ex uobis cōsenserint super terrā, de omni re quācunq;  
petierint, fieri illis à patre meo. Et alibi. Ego rogaui pro te

B b

DE PRI. PET. ET R.O. ECCLE.

Matt. ulti. Petre, ut non deficiat fides tua, Propter hanc Christi positionem ex assistentiā in gubernanda sua ecclesia, nunquam compertum est papam oberrasse in suis decretis, in his que sunt fidei aut proborum morum: Licet aliquis errauerit in icto, aut ut particularis persona. Si n. papam ecclesiam, conciliū legitimū & uniuersale in his cōtingeret errare. Christus ecclesiæ suæ nō sufficienter prouidisset: Nullus in fide errans, peccaret: oīa etiam fidei decreta ambiguerent, & nō certa. Hac de causa ait Paulus. i. Tim. 3. si tu uero scias quō oportet te in domo Dei conuersari, quod ecclesia Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis.

Huius rei gratia, maiora ecclesiæ negotia, ad sedem stolicam diriguntur: ad eam tanquā ad singulare refugium ex toto orbe terrarū appellatur. Ipsiusq; est dubia in sua determinare: uide infrā titu. 32. cap. 7. Dicit namq; Alexander, quintus à beato Petro papa, & martyr, in suo decreto. Huic sanctæ & apostolicæ sedis apici, summarū dispositiones causarum. & omnium negotia ecclesiarum ab ipso dominino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente principi apostolorum. Tu es Petrus, & sup hanc petram ædificabo ecclesiā meā Felix quoq; papa, & ipse martyr, sic ait adlegatum episcopū. Semp dubia & maiora negotia, tenuim ab hac sede, à tpe apostolorum qui eam suis documentis instruxerunt, accipere cōsueuerunt. Vigilius aut in sui decreti cap. 7. sic inquit. Nulli dubium est, q; ecclesia Romana fundamentum & forma sit ecclesiarū: à qua oēs ecclesiæ principium sumpsiſſe, nemo recte credentium ignorat. Quoniam licet oīum apostolorū par esset electio, beato tñ Petro concessum est, ut cæteris præemineret: unde & Cephas uocatur: quia caput est, & primus oīum apostolorum: Et quod

in capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quā obrem  
Ro. ecclesia dñi uoce cōsecrata, sc̄tōrū patrū anthoritate ro-  
borata, primatū tenet oīum ecclesiarum. Ad quā summa ne-  
gotia, & eorum iudicia quasi ad caput semp̄ referēda sunt.  
Hoc ipsum habet decretū Marcellini papae et mar. et Ana-  
cliti. 3. à beato Petro, papae pariter & mart. Art. 15.

Cum sint Metropolitani, & Primates, quare R H E T.  
ex toto orbe terrarum dicis ad sedem Romanā,  
posse appellare?

Hoc decreuerunt sancti patres, pp̄ sedis eminentiā, quæ THEO.  
oīum iuratueri debet, finemq; imponere litibus. Sic n. scri-  
bit Athanasius cū episcopis Aegypti ad papā Felicē. A pa-  
tribus Nicanæ synodi est definitum cōsonanter, ut si quis=  
quam episcoporū, aut Metropolitanum, aut cōprouincia=les  
uel iudices suspectos habuerit: uestrā Romanā sanctam  
interpellent sedē: cui ab ipso dño potestas ligandi ac soluen-  
di, speciali est priuilegio cōcessa. Ipsa est. n. sacer uertex, in -'.  
quo oēs uerūtūr, sustētantur, leuātur. Scribit quoq; Sixtus  
à beato Petro papa. 6. et mart. ad omnes episcopos. Siquis  
uestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hāc  
sanctam & apostolicā sedem appelle: & ad eam quasi ad  
caput, suffugium habeat: ne innocens damnetur, aut ecclē-  
sia sua detrimentū patiatur. Dicit quoq; Canon cōcilij Cal-  
cedo. Siquis episcopus prædicatur infamis, liberam habeat  
plātem appellandi ad beatissimū episcopū antiquæ Romæ,  
quem habemus Petrum, petram refugii. Hæc eadem dicūt  
decreta Marcellini & Iulij.

Articulus 16.

Quare præ ceteris dubia in fide determinat RO R H E T.  
manus pontifex

R̄ndet tibi Felix papa & mart. in epist. ad Benignum. THEO.

DE PRI. PET. ET RO. ECCLE.

Hæc sancta & apostolica mater oīum ecclesiarum Christi ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiā, à tramite apostoli cæ traditionis nunquā errasse probatur, nec ab hereticis nouitatibus depravāda succubuit. Sed ut in exordio, non fidei christiane pcepit ab authoribus suis apostolorū principibus illibata fine tenus manet: secundum ipsius dñi publicationem, qui suorū discipulorū principi, in suis factis euangelij. Petre (inquietus) ecce Sathanas expetiuit, ut cribraret sicut triticum. Ego autem pro te rogaui, ut nondicit fides tua. Et tu aliquis conuersus, confirma fratres. Ait quoque Athanasius scribens cum episcopis Aegypti. Felicem papam. Tu prophanarum hæresum atque impurum, atque oīum infestantiū deposito, princeps & dominus caputque oīum orthodoxæ doctrinæ & immaculatæ fideliæ stis. Quæobrem ait concilium Sardicen. cui noīe Romani pontifici. præfuit Osius. Quæ decreuerit Roma. episcopus, confirmata erunt. Hac de causa, acta concilij Nicæni ad Sylvestrum papæ missa sunt roboranda. Concilium quoque Carthaginense primum, acta sua ad papæ Innocent. I. misit, dicens. Hanc sancte charitati tue intimadum duximus, ut statutis nobis mediocritatis etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam etiam perueniente corrigenda. Concilium etiam Milevitanum, ad eundem Innocentium, eum consilens super hæresi Pelagij & Coelestij. Concilium uero Carthaginense. 6. 217. episcoporum misit ad Bonifacium papæ, ut ipse deliberaret, si quæ forent suis fratris admenda, uel adjicienda. Leo quoque papas scripsit ad nodum Ephesinam & Calcedaten. ut dñnaret Nestorium & Eutychetem, quos ipse in synodo Rom. dñnauerat. Hoc est Fabianus papa respondit ad consulta episcoporum orientalium.

TITVLVS XXXI. 195

Cornelius Rufo episcopo orientali. Lucius episcopis Galicie et Hispaniae. Euticianus episcopis Cilicie. Marcellinus quoq; episcopis orientalibus, &c.

Ex his liquet omnes in dubijs ad sedem Rom. conuolat se, quæadmodum ait Aug. in lib. cōtra Manichæos, et recitur dist. ii. cap. palam. Palam est q; in re dubia ad fidem et certitudinem ualeat authoritas ecclesiæ catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis Aposto. sedibus, usq; ad hodiernū diē succendentium sibimet et episcoporū serie, et tot populo=rum cōsensione firmatur. Et Hiero. in detectione nugarum Rufini epist. 40. par. i. ait. Scito Rom. fidem apostolica uoce laudata, istiusmodi præstigias nō recipere, etiā si angelus aliter annunciet, quæ semel prædicatū est Pauli authoritate munita, nō posse mutari. uide ifr. ti. 32. art. 7. et. 8. Art. 17.

Hoc singulare ut in fide nō erret, dubiaque de cernat, tribuit Augustinus ecclesiæ catholicæ, nō RHET. autem Romanæ.

Articulus est fidei, credere unam sanctam ecclesiam catholicam (ut ait symbolus Apostolo.) et apostolicam (ut THEO. habet symbolū Nicenum) extra quam nō est salus. 24. q. i. cap. Quicunque, de pœ. di. 6. ca. 1. parag. Laboret. De sum. tri.ca. Firmiter. Quænam sit illa inter catholicos et hæreticos disceptatur. Donatus aliquando ab ecclesia deiectus, quia Cæciliiano crimina obiecerat, quæ probare nequerat, fuxit dicens, apud se solum ecclesiā remansisse. Nouatiani quoq; dicunt, apud se esse ecclesiam. Rutheni et Armeni suā credulitatem ecclesiā uocant. Omnes denique hæretici apud se dicunt esse ecclesiam. Et Romanam sive nostram, synagogā Sathanæ appellat. Dicit. n. Hier. par. i. epi. 40. Heretici licet foris sint, tamen nominant se christianos. Pro

DE PRI. PET. ET RO. ECCL.

huius elucidatione , nota q[uod] ecclesia Grece , Latine dicitur  
coetus , siue congregatio hominu[m] , et aliquando sumitur

1. Timo. 3. tēplo materiali , quemadmodū ait Paulus Timotheo .  
quomodo oporteat te conuersari in domo Dei , quæ

De cōfē. di clesia Dei uiui . Et de conse. distin. 1. ca. nemo dicitur . No  
stīn. ca. ec ecclesiā ædificet ante quā episcopus ciuitatis ueniat , v  
clesia . Aliquando accipitur pro collectione iustorum , in quibus

Ephe. 5. tamē est aliquid rubiginis : quia non est iustus qui non pa  
cet . de qua dicit apo . Vir caput est mulieris , sicut Christus  
caput est ecclesiæ . Aliquando capitur ecclesia pro colle  
ctione iustorum , in quibus non est ruga neq[ue] macula , que  
non inuenitur , sed expectatur futura in cœlis : de qua illa

Ephe. 5. Apost. Viri diligite uxores uestras , sicut Christus dile  
ctus ecclesiā , et seipsum tradidit pro ea , ut illam sanctificaret  
mundaret , ut exhiberet sibi sponsam non habētem macula  
neque rugam , et dicitur ecclesia triumphans : alia militare  
nuncupatur , sed iustorum . Aliquando accipitur ecclesia  
pro collectione hominum in una fide catholica , et congre  
gatione sacramentorum : de qua loquitur Irenaeus lib. 1. c. 4. 3.

2. COR. 1. quæ tam bonos complectitur , quam malos : Qui mali m  
ero quidē sunt de ecclesia , et si non merito . Sic enim scribit  
Apostolus ecclesiæ , quæ est Corinthi , ubi profectò multo  
mali : quos arguit , ut potè de fornicatione , cōtentione , v

2. COR. 11. Et iterum : Sollicitudo omnium ecclesiarum , in quibus pros  
culdubio fuere quidā minus iusti . Hanc ecclesiam compara  
uit dominus sagenæ , in mari pisces bonos et malos capie  
ti . De qua et ipsa ueritas ait . Ego sum uitis uera , et nos  
palmites : quorū quidam sunt fructiferi : alij non ferunt fr  
uctū : quapropter erunt præcidēti , (nō ait sunt præcisi ) He  
quidem uniuersalis ecclesia in particulares dividitur , quæ

Matt. 13

admodum Ioannes docet, qui scripsit septem ecclesiis, quæ sunt i Asia. Et Paulus ait. Nulla ecclesia cōmunicauit mihi. *Ioan. 15.*  
 Aliquando uero ecclesia sumitur pro ecclesiæ rectoribus: *Philip. 4.*  
 quemadmodum ueritas ipsa ait. Si testes non audierit, dic *Matt. 18.*  
 ecclesiæ. Vbi Chryso. hom. 61. hoc est præsulibus et præ-  
 sidentibus ecclesiæ. Cum itaque dicat Augu. quod in re du-  
 bia fidei, ualeat authoritas ecclesiæ catholice, utiq; ea intel-  
 ligenda est, quæ est in concilijs uniuersalibus, aut in Roma-  
 na ecclesia, quæ caput est omnium ecclesiarum, ut caput à  
 spū sancto directū, regat et confirmet cætera mēbra: scđm  
 pollicitationem ipsius ueritati. Et haec quidem ecclesia non  
 immerito dicitur catholica seu uniuersalis: quia cæteris præ-  
 sidens eas gubernat sana fide et doctrina: ac in maioribus  
 negotijs dubia discutit. Docet hoc Aug. contra epist. Mani-  
 chæi cap. 4. et 5. Dicitur et aposto. quia ab ipsis Aposto-  
 stolis Petro et Paulo, uerbo et exēplo instituta ac robora-  
 ta est: quia Apostolorū fidem doctrinā, et authoritatē ha-  
 denus tenet: Nec unquā in fide: aut bonis moribus deuia-  
 uit. Quāobrem Hiero. et Rufinus fidem suā Damaso pa-  
 pæ explorandā miserunt. Et oēs ecclesiæ, etiam orientales,  
 in dubijs eam consuluerūt: ut habitū est art. 16. et infrā tit.  
 seq. arti. 7. declarabitur. Et ipsa semp̄ recte in oībus defini-  
 uit. Ut patuit hoc titu. arti. 16. Et ti. 32. arti. 7. dicetur. De  
 hac ait Ignatius episto. 5. ad Philadel. Una est ecclesia, quā  
 fundauerunt sancti Apostoli in sanguine Christi, proprijs  
 sudoribus et laboribus. Ex his patet, quantū delirent hære-  
 tici *Ioan. Vuicleff.* qui ait. Ecclesia Ro. est synagoga Sata-  
 næ: nec papa est immediatus uicarius Christi. Decretales epi-  
 sto. sunt apocryphæ, et seducunt à fide Christi. *Ioannes de*  
*Vuesalia,* qui dicit, q; ecclesia pōt errare et errauit: q; cōci

D'E P R I. P E T R O. E C C L E.

lia generalia nō sunt in spiritu sancto congregata: quoniam  
sanctionibus dicit nō esse parentū? Quódq; papa non sed  
carius christi. Ioannes quoq; de Lauduno afferere consta-  
est, q; nec Petrus caput fuit ecclesiæ magis quā quilibet  
stolorū: minus autem successor Petri. Cui subscribit et Lu-  
rus: atque coincidit Ioan. Huss. et Hiero. de Praga. Gran  
quoq; et Rutheni: imò et oēs hæretici dicunt nō obedien-  
tiam ecclesiæ Rom. Nec miretur quispiā, si P. romanā ecclæ  
siam insectentur hæretici. Nunquā pueri uirgas: nunquā  
canes baculos quibus cæduntur, Nunquā lupi canes, q; co-  
ercētur, diligunt. Cōtra quos proponamus elenchū  
habet Cypria. epist. 6. ad Magnum. Ecclesia una est, q;  
una et intus esse, et foris non pōt. Si enim apud Nom-  
inū est, apud Cornelium nō fuit. Si uero apud Corne-  
li qui episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, et que  
præter sacerdotij honore martyrio quoq; dñs glorificauit,  
Nouatianus in ecclesia nō est, nec episcopus cōputari pōt,  
qui euangelica et apostolica traditione contēpta nemini suc-  
cedens, à seipso est ordinatus. Idem Cypria. ad Florentiu  
epif. 72. Dñs cōuersus ad. 12. discipulos ait. Nūquid et us  
uultis abire? R̄ndit ei Petrus. dñe ad quē ibimus? Verba  
uitæ æternæ habes, loquitur illic Petrus super quē ædijan-  
da fuerat ecclesia, docēs quia etsi cōtumax aut superba-  
audire nolentiū multitudo discedat, ecclesia tñ christianorū  
nō recedit. Et illi sunt ecclesia plebs sacerdoti unita, et pa-  
storí suo grex adhærēs unde scire debes episcopū in ecclæ-  
sia esse, et ecclesiā in episcopo. Et si qui cū episcopo non  
sint, in ecclesia nō esse. Et frustra sibi blādiri eos qui pacem  
cū sacerdotibus Dei nō hñtes obrepunt et latenter ap-  
quodā cōmunicare se credūt, qñ ecclesia quæ catholica

est, scissa nō sit neq; diuisa. Sed sit utiq; cōnexa cohārentiū sibūnūcē sacerdotū glutino copulata. Et tūc addamus elen chum. Vnus est Deus: una fides: unū baptisma. Hæc aut̄ fi des uel est apud Romanā ecclesiā, uel apud Lutheranos, et alios hæreticos. Non apud eos, quia à fide apostata uerunt: ergo apud Rom. ecclesiam, quæ eam illibatā seruat, hacte nus perseverās in fide, et doctrina apostolica: secundū asser tionē ueritatis dicentis. Ego rogaui pro te Petre, ut nō deficiat fides tua. Quamobrē ait Beda super Matt. & recita= Luæ. 22 tur. 24. q. 1. ca. quicunq;. Quicunq; ab unitate fidei, uel so cietas Petri apost. quolibet modo semetipso segregauerint: tales nūc nec uinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni coelestis ingredi.

Articu. 18.

Baptistæ eò R.O. pont. potestate effuerunt, ut qcqd RHET. pro suo arbitratu soluerit uel ligauerit super ter ram, ratum habeat ipse Deus in coelis.

Dicit Paulus p̄tatem sibi datam in ædificationē: non in THEO. destructionē ecclesiæ. Dispensator est papa mysteriorū est Dei: non dñs, aut dissipator. Quamobrem ait Aposto. ipfis 2. cor. 10. Corin. Nam & ego qd' donau, siquid donau, pp̄ter uos 1. cor. 4. in persona christi. Quid est. n. donare in persona christi, ni 2. cor. 2. si id agere qd' esset acturus christus? Qui secus agit nō dispensator, sed dissipator uenit cēsendus. De his malis dispē satoribus, illud Ezechielis intellige. Væ qui cōsuunt puluīl Ezecl. 13 los sub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia sub capia te uniuersæ ætatis ad capiendas aīas, ut interficerent aīas que non moriuntur, ut uiuificant aīas quæ non uiuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs. Non licet itaq; pontifici pro suo arbitrio, sed ad limam sacræ scripturæ aut restitutioonis, soluere aut ligare. Dicit, n. Tertul. in lib. de

DE SACRAE SCR. INTE APR.

præscri. hæreti. Aposto. nec ipsi quicquam ex suo arbido  
quod induceret elegerūt: sed acceptam à dño disciplinan,  
fideliter nationibus adsignarūt. Qui autem Ro. eccl. infedel-  
tur, audiant illud Cypria. epist. 3. ad Corine. lib. i. Neque  
aliunde hæreses abortae sunt aut nata sunt schismata, in qua  
de quod sacerdoti Dei non obtoperatur: Nec unus in ecclesia  
tempus sacerdos, ad tempus iudex uice christi, cogitat.

DE SACRAE SCRIPTVRAE IN  
TERPRETATIONE. TIT. XXXI.  
ARTICVLVS I.

RHET. Cum sacram scripturā proditā & utilē docū-  
pariter & indoctis dicat beatus Aurelius Augu-  
lib. epistolarū, epist. 3. ad Volusianū: Afferatq; do-  
minus hoīem nō in solo pane uiuere, sed in omni  
Math. 4. ni uerbo quod procedit de ore Dei: mirum qua-  
re isti superciliosi theologi interdicant laicis lectu-  
ram sacræ bibliæ, aut noui testamenti.

Non pp. emulationem arcentur aliqui à sacra scriptura  
THEO. legenda. Nā in ea inuenitur qd' credendū, qd' sperandū:  
qd' agendum est, aut fugiendū: qd' Dei timore incutiat: ad  
eius amorem inflammet, &c. Est. n. mystica turris David,

Canti. 4. cū propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, oīs armis  
ra fortium, hoc est tota salus, & spes nostra, in ea relucet.  
Sed qd' pleriq; febricitantū more, et quantilibet delicatio-  
cibū, insipidum sibi reddunt, uentantur tractare sacras lite-  
ras: quēadmodum Diony. episcopus Alexandr. uetus suos  
legere hæreticorū libros: ne forte caperetur: Sed calix  
sibi dictū audiuit. Lege oīa qd' cunctis in manus tuas ueneri-  
qui a probare singula qd' & discernere potes: ut habet in